

Friedrich-Universität Bützow

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Memoriam
Missi Super Apostolos Coelitus Spiritus Sancti Religiose Celebrandam Indicunt.
Praemittitur Specimen Tertium Theologiae Patristicae, De Notione Et Via Gratiae
Secundum Cyrillum Hierosolymit**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1766?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1837141827>

Druck Freier  Zugang



Mkl h

3467


1766. 2f.



ZfB ME
05. Aug. 1999

● entsäuert

VIA BRITANNIA
MUSEUM



Mull. h.
3467

RECTOR ET CONCILIUM
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUETZOVIENSIS

CIVIBUS

MEMORIAM MISSI SUPER
APOSTOLOS COELITUS

SPIRITUS SANCTI


RELIGIOSE CELEBRANDAM

INDICUNT.

PRAEMITTITUR SPECIMEN TERTIUM THEO-
LOGIÆ PATRISTICÆ,

DE

NOTIONE ET VIA GRATIÆ SECUN-
DUM CYRILLUM HIEROSOLYMIT.



BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.



RECTOR ET CONCILIUM
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUTZOVENSIS

CIVIBUS

MEMORIAM MISSI SUPER
APOSTOLOS CORINTHOS

SPIRITUS SANCTI

RELIGIOSE CELEBRANDAM

INDICUNT.

PRÆMITTITUR SPECIMEN TERTIUM THEO-
LOGIÆ PATRISTICÆ,

DE

NOTIONE ET VIA GRATIÆ SECLIN-
DUM CYRILLUM HIEROSOLYMIT.


si tunc præparat baptismum suscipi-
tum conlocatur illi, qui relinquit ex-
tra. tunc mensura potestatis
est. illud, non esse
tunc, illud non est
tunc, illud non est
tunc, illud non est
tunc, illud non est




Produktion & Reproduktion
invertolem tem, que

BUTZOVII

Typis JOHANN. GOTTL. FRITZSCH, SEN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.



Handwritten notes and numbers: 3467



I. N. J.



ocuimus adhuc *), *Cyryllum* gratiæ nomine totum istud complecti, quod tum iis confer- tus, qui rite præparati baptismum suscipi- piunt, tum consequuntur illi, qui relapsi ex baptismali foedere, seria mentis poenitentia ducti ad Deum revertuntur. Ostensum est & illud, non exte- riorem modo aliquam rem, homini oblatam, illustri huic gra- tiæ vocabulo secundum *Cyryllum* subjiciendam esse, sed inti- mum quendam effectum in ipsa mente ejusque viribus, super- naturali Spiritus S. operatione productum & generatum. Pro- gressi deinceps sumus ad ipsam hanc interiorem rem, quæ Spi- ritus Sancti virtute in animo hominis accidit, accuratius expli- candam, in quonam versetur? cœpimusque docere, quas quasi par-

a 2

*) Program. Pentecost. it. Natal. anni superioris.

partes eam complecti: tum certam firmissimamque convictionem animi de impetrata remissione peccatorum, qua tranquillatur conscientia, ejusque morsus sanantur, atque homo filiali in Deum repletur fiducia, quod ipsum etiam Spiritus sancti *signaculum*, σφραγίδα, *Cyrillus* appellat; tum dona Spiritus sancti proprie sic dicta, quæ majorem minoremve gradum, pro subjecti conditione & capacitate admittant. In præsentia adjiciemus primum ad ea, quæ superiori commentatiuncula de priori ista *gratiæ* parte dicta sunt, adhuc analeceta nonnulla ex *Cyrillo* nostro: deinceps vero alteram partem, sive dona Spiritus sancti proprie sic dicta, eorumque veram indolem ex *Cyrilli* sententia explicabimus.

Igitur *Cyrillus*, *catech. ad compet. III.* postquam diaboli atque mortis potestatem, qua captivus tenetur homo, priusquam per gratiam liberatur, gravissimis verbis descripsisset; continuo pergens, *succurrit deinde*, inquit, *vita* (i. e. Christus, quod ex orationis contextu perspicuum est), *ut mors quoque timeret, ut salvati omnes dicamus, ubi est, mors, stimulus tuus? - - per baptismum enim solvitur stimulus mortis. Descendit quidem in aquam, ferens peccata: sed gratiæ invocatio signans (σφραγισασα) animam non permittit deinceps, ab horrendo illo submergi dracone.* Intelligimus igitur, ex *Cyrilli* sententia stimulum mortis esse peccatum, quatenus hominem illius conscientia affligit & condemnat. Quousque homo hisce conscientiæ terroribus obruitur usque succumbit, eoque etiam satanæ impetum vimque cupidatum sustinere & vincere, haud potest, sed victus mergitur. Simulac autem Spiritus s. obsignat, sive confirmat mentem de impetrata venia; solvitur iste stimulus, potestasque diaboli & mortis cadit. Etenim hæc obsignatio (σφραγισ) a Spiritu s. profecta, in qua versatur prima pars gratiæ, cum opposita sit isti hominis statui, quo ante baptismum peccati reus coram divino tribunali conscientiæ angos-

(*) Program. Pensecol. it. Natal. anni subeioris.

✻ ✻ ✻ ✻

res promeritaque condemnationis metum sentit: cumque per istud, quod *gratiam* & Spiritus s. *signaculum* vocat *Cyrillus*, iste status tollatur; hæc ipsa gratia, hocque Spiritus s. signaculum nihil aliud sit oportet, quam certissima animi convictio, solutam esse mortis & condemnationis sententiam, deletamque peccatorum culpam, qua animus augebatur: unde deinceps illud proficisci *Cyrillus* affirmat, ut ipsius peccati, sive cupidatum vis atque impetus infringatur, ne hominem ita liberatum & de reconciliatione cum Deo certum submergere possit. Ex his quidem & alia, quæ proxime sequuntur apud *Cyrillum*, faciles habent explicatus. Addit enim continuo: *mortuus in peccatis descendisti* (in aquam), & *ascendis vivificatus in iustitia* (*Ζωοποιήσῃς ἐν δικαιοσύνῃ*). Ex his, quæ in præcedentibus disputata sunt, tam certum est, quam quod certissimum, non de præfractio peccatore, qui nullum peccati sensum, nullum odium habeat, *Cyrillum* loqui; sed de homine peccatorum culpam sentiente atque deprecante, ac veniam libertatemque serio anhelante. Sic igitur vivificatio ista, quæ huic humilitati & mentis contritioni succedit eamque aufert, nihil aliud necesse est, quam consolatio animi peccatorum sensu territi, illiusque certa confirmatio de ablato peccatorum onere, qua tranquillatur novamque vitam sentit. Igitur & iustitia, per quam accipere istam vivificationem *Cyrillus* affirmat, in eo versatur, ut homo peccator, criminum culpam sentiens, per Spiritum s. certus reddatur, non amplius sese hominem morti & iræ obnoxium reputari coram Deo, sed innocentem, qui veniam & condonationem consecutus sit. Totum hocce negotium deinceps *Cyrillus* mortificationem peccati vocat: quemadmodum *Jesus*, inquit, mundi totius peccata recipiens, mortuus est, ut mortificato peccato restituat te iustitie; sic & tu descendens in aquam, & quodammodo sepultus illi - - - - - exciteris, rursus in novitate vite ambulans. Per superiora quidem hæc peccati mortificatio (*Ἐκβάτης*) aliter capi haud potest, quam de

reatu, qui premit & angit conscientiam peccatoris. Tollitur iste, nosque ab eo liberamur, propterea, quod Christus peccata nostra recepit, mortemque nostram subiit: cumque animus ad Christum confugiens certus redditur de ablato per illius mortem peccatorum onere, recuperataque libertate & venia, & restituito benignissimo favore Dei erga nos; restituitur hoc facto peccator, secundum Cyrillum, iustitiæ. Quocirca & *novitas ista vite*, ad quam *Cyrellus* hominem per baptismum resuscitari affirmat, non proxime de externis bonis operibus aut exercitio virtutis intelligi potest; sed de interna spiritali vita, quæ redditur menti, cum de impetrata venia ita confirmatur, ut intimus inde sensus fiduciæ in reconciliato Deo, tranquillitatis, & amoris divini progeneretur. Id quod ex iis, quæ proxime sequuntur extra omnem dubitationem ponitur. Addit enim *Cyrellus*: *Deinde cum gratia tibi collata fuerit* (ὅταν τῆς χάριτος καταξιώθῃς), *tunc tibi dat potestatem, adversus contrarias virtutes pugnandi.* Vides, istud quod ante *mortificatio peccati, restitutio ad iustitiam, vivificatio*, vocabatur, nunc uno vocabulo *gratiam* appellari: sed intelligis etiam, vires vincendi cupiditates, & exercendi virtutem, non esse istam ipsam gratiam per se & formaliter, uti dicunt; sed effectum gratiæ collatæ, qui ab hac, tanquam a fonte, promanet. Illustrat porro *Cyrellus* & conficit totum hocce negotium exemplo *Servatoris*. Quemadmodum enim ille post baptismum demum certamen cum satana inierit, operaque ministerii sui exercere coeperit, non quod antea ille quidem id perficere haud potuisset, sed quod ad præbendum nobis exemplum ordine omnia & successive facere vellet (παντα τάξει καὶ ἀκολουθίᾳ πράττειν ἐβόλετο); sic & tu, inquit *Cyrellus*, ante baptismum adversariis reluctari non audebas. Accepta vero gratia, deinceps confidens armis iustitiæ, decertato, &, si vis, etiam evangeliza. *Jesus Christus Dei filius erat: attamen ante baptismum non evangelizabat.* — ab eo tempore cœpit *Jesus prædicare, cum descendit*

*in illum Spiritus S. corporaliter in specie columbae - - - - Si
 & tu non simulatam habueris religionem, descende in te Spiritus
 S. Vox tibi paterna desuper intonat, non quidem hic est fili-
 us meus (ut apud Christum, qui ab æterno naturalis Dei filius
 est): sed quod nunc factus est filius meus - - - quoniam non
 secundum naturam, sed juxta alienam auctoritatem (κατὰ
 Φύσιν, ἀλλὰ κατὰ Θεοῦ) habes adoptionem. Ille sempiternus
 est: tu vero ex profectu (ἐκ προκοπῆς, per immutationem, qua
 progredieris in statum meliorem) accipis gratiam. Intelligimus,
 quid sit, cur *Cyrillus* statum hominis ante baptismum, prius-
 quam gratiam consecutus est, statum mortis supra vocaverit:
 animus nimirum ante impetratam remissionem nullas vires,
 nullam fiduciam sentiebat pugnandi contra cupiditates peccati,
 sed mens abjecta jacebat & oppressa conscientia angoribus:
 non audebat (μη τολμήσας) adversariis reluctari. Quam
 egregie ac perspicue vero his verbis *Cyrillus* simul declarat,
 quid sit gratiam consequi, restitui justitiae induique armis ejus,
 vivificari, cætera? Etenim totum istud in eo versatur, ut ho-
 mini peccatori anxio & perterrito, Spiritus S. benigna opera-
 tione & virtute clarum, certum, indubiumque fiat, libera-
 tum se esse a maledictione & ira, reconciliatum cum Deo, trans-
 latum in jura filiorum Dei, ita ut plena fiducia Deum tanquam
 benignissimum patrem complecti, & in ipsius amore potentique
 cura plane acquiescere possit. Id vero deinceps homini ani-
 mum magnam & excelsam addit, spernendi atque vincendi eu-
 piditates pravas, hilarique promptaque mente quasvis virtutes
 exercendi. Quæ quidem cuncta tandem egregie confirmantur
 per ea, quæ proxime sequuntur, ubi *Cyrillus* repetens quasi,
 quæ antea dicta fuerant, totam baptismi gratiam complectitur
 in remissione peccatorum, quatenus animus per Spiritum san-
 ctum de impetrata reconciliatione cum Deo certus redditur.
 Omnia sane, inquit, quaecunque perpetraveris, condonabun-
 tur*



*tur - - - illis - - - - - qui sciscitabantur dicentes: quid
 faciemus fratres? - - - quodnam emplastrum datur tanto
 ulceri? quæ salus in hac perditione? Penitentiam agite (dicit
 Petrus) & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu
 Christi domini nostri, in remissionem peccatorum, & accipietis
 donum Spiritus sancti. O ineffabilem Dei benignitatem! - - -
 vides baptismi virtutem. Si quis vestrum verbis blasphemis
 Christum crucifixit: si quis ex vobis per ignorantiam coram ho-
 minibus negavit - - - agendo penitentiam bene speret: adest
 enim & nunc eadem gratia. Confide Jerusalem; abstulit enim
 Dominus iniquitates tuas: abluit Dominus sordes filiorum ejus
 in Spiritu iudicii, & in Spiritu combustionis. Sparget super
 vos aquam mundam, & mundabimini ab omni peccato vestro.
 Saltabunt circa vos angeli, & dicent: quæ est ista, quæ ascen-
 dit dealbata, & confirmata super patrualem suam. Quæ enim
 antea fuerat serua anima, nunc patrualem ipsum Do-
 minum adscripsit. Denique cum catech. mystag. V. eos,
 qui baptismum jam acceperant, hortaretur, ut sincero animo
 Deo gratias agerent, rationesque gravissimas hujus rei expone-
 ret; hisce verbis argumentum concludit: certe gratias agere
 debemus (Deo), quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vo-
 cavit, quod inimicos sibi reconciliavit, quod Spiritum
 adoptionis nobis donavit.*

Sequitur jam, ut de altera gratiæ parte accuratius dis-
 quiramus, quam peculiari quodam modo a Cyrillo donum Spi-
 ritus sancti vocari, supra jam monuimus, & versari quidem ex
 Cyrilli sententia tum in præcipuo quodam gradu spiritualis læ-
 titiæ & fortitudinis, tum in perpetua Spiritus sancti gubernatio-
 ne, qua fideles per totam reliquam vitam regit, monet, & ad
 quævis egregia facinora perpetranda & aptos reddit, & stimulat
 & confirmat. Est equidem hoc loco haud inficiandum, non
 satis accurate semper a Cyrillo nostro dona Spiritus S. extraor-
 dinaria, quæ primis ecclesiæ temporibus nonnunquam a Deo
 ad

ad communem utilitatem concedebantur, distingui a donis & charismatis ordinariis, cum statu gratiæ per se & omni ævo conjunctis. Cæterum hac una cautione observata, quoad rem ipsam egregie differit noster de donis istis, multaque præclare monet. Audiamus ipsum *Cyrrillum*. Postquam enim, quod supra ostensum est, hanc alteram gratiæ partem, quæ consistat in dono Spiritus s. suos habere gradus, & admittere majus & minus, affirmasset; de hac deinceps causa *catech. ad compet. V.* ita differit, ut primo loco summam *fidei* vim atque virtutem exponat, utpote qua mirabilia quævis opera christiani efficere possint, deinde vero addat, si quis eum eximium atque præcipuum *fidei* gradum atque virtutem nondum habeat, opus esse, ut cum apostolis dicat: Domine adauge nobis fidem. Etenim, inquit, posse aliquem fidem veram habere, cui tamen adhuc præcipuus iste gradus desit, qui peculiari modo pars quædam *gratiæ* sit vocanda. Quod ut eo rectius capiatur; distribuit *Cyrrillus* fidem in *dogmaticam*, & *eam, que conceditur per gratiam*. Hanc duplicem *fidei* speciem deinceps explicaturus: nomen *fidei*, inquit, unum quidem est, dupliciter autem dividitur. Est enim unum genus *fidei*, quod dici potest *dogmaticum*, in quo versatur assensus animæ de aliqua re (*συγκαταθεσις της ψυχης ἐχρηπσει τε θεσπιος*), & juvat animam (*ωφλει την ψυχην*), sicut inquit Dominus: qui verba mea audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, cæt. O magnam Dei clementiam! justique quidem vix per multos annos probati sunt. Quod autem illi per longa ætatis investigationem corrigentes assecuti sunt, hoc nunc Jesus una hora nobis donat. Si enim credideris, quod Dominus est Jesus Christus, & quod Deus eum excitavit a mortuis, salvaberis, & transfereris in paradysum. Propterea & latronem eo introduxit, ut non dubites, num id fieri possit. Qui enim latronem una hora credentem in hoc sancto Golgatha servavit, idem & te credentem servabit. Vides, *fidei dogmaticæ* nomine *Cyrrillum* complecti fidem salvificam in univertum, quæ

ad salutem omnibus hominibus ex æquo necessaria, omnibusque
 veris christianis communis est. Sed pergit continuo: Alterum
 autem genus fidei est, quod ex parte gratiæ a Christo donatur
 (το εν χαριτος μερει πασα τα χριστα δωρεμενεν). Alii enim per
 Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum
 eundem Spiritum: alii vero fides in eodem Spiritu, alii gratiæ
 curationum. Hæc igitur secundum gratiam donata fides ex
 Spiritu, non modo est dogmatica, verum etiam supra humanas
 vires effectiva. Qui enim habet hanc fidem, dicit monti huic,
 transi hinc illuc, & transit. Quando enim per fidem dicit hoc
 aliquis, credens quod fit, & non ambigit in corde suo; tunc ac-
 cipit gratiam. Satis perspicuum est, hanc alteram fidei speciem
 idem illud esse apud Cyrillum nostrum, quod antea donum
 Spiritus sancti sapius vocaverat. Prior species, siue dogmatica
 fides, pertinet ad primam partem gratiæ supra explicatam: al-
 tera vero ad hanc alteram partem, quam nunc exquirimus. In-
 telligimus quidem & illud, Cyrillum huc etiam miraculosa & ex-
 traordinaria dona trahere, quod supra præcepimus: neque ta-
 men de his miraculosis donis tantum hanc alteram gratiæ par-
 tem vult intellectam; sed confestim alia Spiritus scilicet charismata
 adjicit, quæ omni ævo secundum ordinariam gratiam in ecclesia
 locum habent. Etenim postquam monuisset, de hac altera fidei
 specie, siue de altera gratiæ parte, dici: si habueritis fidem, si-
 cut granum sinapis cæt. & nonnulla de natura hujus grani addi-
 disse: sic & fides in anima, inquit, celerrimo actu maxima per-
 ficit. De Deo enim speculatur, & Deum intuetur (περι Θεου
 παντα?εται, καὶ Θεου κατοπτρευει); ita ut omnis, quatenus illi
 contingit fide illuminari, & mundi terminos circumeat, & ante
 mundi hujus consummationem iudicium jam videat & promi-
 sionum retributionem. Hæc omnia, quod quisvis perspicit, per-
 tinent ad præcipuum quendam cognitionis ac luminis spiritualis,
 fiducia, & fortitudinis gradum, qui quidem quovis ævo inter
 christianos attingi potest, majus tamen atque minus admittit;
 nec

nec ex æquo competit singulis, quanquam cæteroquin omnes veram salvificamque fidem, sive priorem gratiæ partem, habeant.

Duplicem hanc gratiam, de qua adhuc disputavimus, alio loco sic describit Cyrillus: *accipis nunc remissionem peccatorum tuorum* (quæ est prima gratiæ pars, per superiora), & *munera regis, a gratia profecta, quæ versantur in spirituali dono* (πνευματικῆς δωρεᾶς τῆ βασιλεως τα χαρισματα). *Catech. XIII. ad compet.* Posteriora verba aperte pertinent ad illud, quod Cyrillus adhuc donum Spiritus s. vocaverat, in quo insit altera gratiæ pars, a remissione peccatorum quodammodo diversa. Hanc alteram partem vero hoc loco eleganter comparat cum muneribus, quibus rex afficit milites, quæ alacriores promptioresque reddantur ad pugnandum. Propterea & confestim addit: *quando venerit bellum* (persecutio, vincula, mors propter Christum, ut ex iis, quæ deinceps sequuntur apud Cyrillum, patet), *pugna strenue pro rege tuo.*

Illustris imprimis locus occurrit *catech. XVI. ad compet.* Cum enim monuisset Cyrillus, donum Spiritus s. *Joan. C. IV. & VII.* alibique cum aqua vivente comparari, nonnullaque de præstantia & usu aquæ præcepisset: *sic & Spiritus s. inquit, cum sit unus & idem & non divisibilis, unicuique dividit gratiam, prout vult. Et quemadmodum aridum lignum aqua participans, flores emitit; sic & anima peccatrix, per pœnitentiam Spiritu s. digna reddita, justitiæ ramos progenerat, & cum ipse Spiritus sit uniformis, multas nutu Dei & in nomine Christi virtutes operatur.* De ea quidem gratiæ parte, in qua versatur donum peculiare Spiritus s. loquitur *Cyrillum*, eandemque complecti præcipuam quandam animi institutionem & elevationem ad quasvis virtutes egregiaque facinora perpetranda, facile intelligimus. Ac quamquam neglecto rursus discrimine inter charismata extraordinaria & ordinaria primum miraculosa nonnulla dona enumeret, prophetiæ, potestatis ejiciendi dæmones, & alia hujus generis; ad ista tamen sola hocce Spiritus s. donum nequaquam restringit, sed addit rursus alia, quæ semper in ecclesia vigent, & vigere debent.

Alium, inquit, instituit ad eleemosynam; alium docet jejunare, & exerceri ad pietatem, & res corporeas contemnere (ἕνεκεν καὶ ἀσκῆν, καὶ κατὰ φρονεῖν τῶν τῶ σιματος πραγμάτων, quibus verbis Cyrillus videtur, secundum istius ætatis jam vehementer confirmata principia, ad vitam asceticam, sive monasticam respicere): *alium præparat ad martyrium: atque sic alia in aliis operatur --- sicut scriptum est i Corinth. XII.* Hæc vero omnia non nisi de ordinaria Spiritus s. gubernatione capi possunt, quæ veris christianis per totam vitam contingit, atque de peculiari quidem, ab ordinaria tamen gratia profecto impulsu ad hæc vel illa præclava facinora, prouti res & tempus postulant. Deinceps ead. catech. XVI. noster infelices dæmonum operationes in servis peccati primum graviter describit, continuo vero pergit: *non est, inquit, ejusmodi Spiritus sanctus, sed contraria ratione omnia ad bonum & ad salutem dirigit. Primum enim mansuetus illius adventus, fragrans progressus, onus levissimum, ante suum accessum radios lucis præmittens & cognitionis* (προσπαρτῆσιν ἀκτῖνες φωτός καὶ γνώσεως, προτῆς παρῆστας, ante plenariam Spiritus s. illuminationem, de qua statim, præcedunt ex Cyrilli sententia nonnulli radii, quos vernacula lingua vocare solent *Snaden-Blicke*). *germani protectoris* (κνηδεμονος) *viscera habens venit. Venit enim servare, & sanare, docere, adhortari, confortare, admonere, & illuminare mentem, primum quidem ejus, qui recipit illum, & deinde per ipsum & ceteros. Et quemadmodum in tenebris si quis antea fuisset, solem deinceps ex templo videns, ad spectus corporis illius illuminatur, ita ut quæ antea clare non videbat, tunc videat; sic etiam cui Spiritus s. donatus est, anima illius illustratur, & ipse plusquam homo cernit. In terra erit corpus, & anima caelos contemplantur.* Habes totum illud, quid sit secundum Cyrillum Spiritus s. donum, tanquam altera gratiæ pars. Est nimirum, præter istam mentis conviciationem de impetrata remissione peccatorum in universum, quæ ad primam gratiæ partem pertinebat, præcipua quædam claritas &

vita

vita in cognoscendo Deo ejusque amore, quam Cyrillus peculiari modo *illuminationem* vocat, unde præcipuum quoddam animi robur eximiusque gradus spei & sensus coelestis oritur. Est perpetua indefinensque Spiritus s. præsentia efficacissima in animo credentium, quæ quovis tempore, singulisque in casibus salutari- ter gubernantur atque ducuntur. Admiscet equidem *Cyrillus* & hoc loco exempla charismatum extraordinariorum sive miraculo- sorum, propter neglectam, uti sæpius dictum est, accuratam donorum divisionem: affert tamen etiam specimina gratiæ or- dinariæ, unde admodum perspicue intelligere possumus, qualem huic rei notionem subjecerit. *Quod si forte, inquit, sedenti tibi de castitate aut virginitate subeat cogitatio; illius (Spiritus s.) hæc est institutio. Nonne per sepe puella, jam ad sponsi thalamum con- stituta, effugit, Spiritu s. de virginitate eam docente? Nonne se- pe splendidus aliquis homo aulicus contempsit divitias, probe in- structus a Spiritu s.? Nonne sæpius juvenis videns pulcritudinem aliquam, compressit oculos, & ne amplius videret, aufugit, pol- lutionemque vitavit? Quæris, unde id contingat? Spiritus san- ctus certe sic erudit animam adolescentis. Tot sunt avaritiæ cupiditates in mundo, & tamen nihil possidere eligunt christiani. Quæ de causa? Propter Spiritus s. annunciationem. Pretiosum sane donum est Spiritus sanctus. Apparet equidem, nonnulla af- ferre *Cyrillum*, quæ superstitionem ista ætate jam pullulantem sapiunt, nimiam præprimis coelibatus & monasticæ vitæ æstima- tionem, quæ instituta tum temporis tanquam insignes splendidis- simaque virtutes inter christianos commendari solebant, quan- quam a gravissimis abusibus postea sensim in papatu adjectis ad- huc longissime essent remora. Quod quidem cautos nos reddere debet, ne virtutes vere christianas aliunde, quam ex divinis scri- pturæ s. præceptis æstimemus, nec easdem definiamus ex huma- no ingenio. Atque id ipsum quoad theoriam egregie perspexit *Cyrillus*, atque, quod alio loco docebimus, cum nobis consentit, totam christianam vitam ex scriptura s. æstimandam, eamque unum esse remedium, quo Spiritus s. nos doceat atque gubernet.*

1103

2 3

Sed



Sed hocce egregio verissimoque præcepto ac decreto, istius ætatis præjudiciis impeditus, non satis bene & accurate semper usus est. Hoc enim si fecisset, instituta mere humana & superfluitiosa quodammodo, non retulisset ad dona atque operationem Spiritus sancti. Verumtamen, utut erraverit in proferendis exemplis *Cyrillus*; ipsam tamen notionem, quam cum dono Spiritus s. tanquam altera gratiæ parte conjungi vult, ex his, quæ ab ipso dicta sunt, manifeste & clare intelligimus. Qua de re ut nullum plane relinquatur dubium, adjiciamus adhuc alia nonnulla verba, ex hac ipsa *catech.* XVI. & ex uno eodemque cohærente sermonis contextu desumpta. Etenim paucis interjectis: *vocatur quoque, inquit, paracletus (Spiritus s.), propter consolationem & auxilium infirmitatis nostræ. Nos enim, quid & quatenus orare debeamus, nescimus: sed ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus ineffabilibus. Manifestum vero est, quod apud Deum. Sæpe propter Christum afficitur contumelia & ignominia quispiam: martyrimum imminet, tormenta undique & ignis, & gladius, & bestia, & gurgites. Verum interea Spiritus s. alloquitur dicens, sustine Dominum, parva sunt ista, quæ fiunt, brevi tantum tempore labora, & in sempiternum eris cum angelis, non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Describit homini regnum cælorum, demonstrat deliciarum paradysum. Ac martyres quidem vultu corporeo sesti cogebantur coram judicibus, potentia autem animi erant in paradiso, contemnebantque præsentis difficultates.* Observemus hoc loco imprimis suavissimam istam prisca ecclesiæ doctrinam, qua Spiritus s. potenti afflatui & operationi unice invidium istud animi robur tribuebant, quo gaudent veri christiani ad vincendos omnes vel furiosissimos impetus tum intrinsecus pravatum cupiditatum & illecebrarum peccati, tum extrinsecus persecutorum & crudelissimarum afflictionum. Hanc vero Spiritus s. operationem in eo collocabant, quod ipse christianorum animos clarissima efficacissimaque luce repleat ad cognoscendas certissimæ mentis convictione, firmissimeque tenendas promissiones Evangelii,

geli, & Christi beneficia: quæ lux atque cognitionis certitudo ævis ita animum occupet pellatque, ut nullæ aliæ rationes contrariæ, nec metus nec spes alia voluntatem movere, aut a proposito avertere possit. Id ipsum equidem a cæcis miserisque gentilium sapientibus æque ac nostræ ætatis hominibus, qui ignorant Deum efficacissimamque Spiritus s. virtutem, tanquam incredibilis & a ratione alienæ pertinaciæ, stuporis, & inscitæ effectus, ut fanaticismus & tantum non furor summaque stultitiâ contemni & videri volebāt, uti apud *Antoninum imperatorem, celsum, Julianum*, aliosque videmus; quoniam hujus generis homines suæ sapientiæ stulta admiratione capti, quod ipsi non sentiebant & experiebantur, nec capere, nec veram divinamque sapientiam assequi poterant. Sed christiani, cum nihil in sublimi hæc excelsissimaque re inest, quod a recta ratione, aut a Dei omnipotente virtute, aut denique a natura morali ipsius hominis sit alienum, cumque re ipsa experirentur suavissimas istas consolationes supra omnem humanam virtutem longissime positas, potentemque illam effectiorem, quæ animabatur mens ad contemnendas fortiter cupiditates excelsæque quæ vis sectanda, atque evehebatur supra omnes humanas res ad istum beatæ vitæ statum, qui naturæ humanæ congruit: veri christiani, inquam, jure atque merito nihil se moveri patiebantur ejusmodi iniquis &, quanquam ab iis proferebantur, qui sapientes videri volebant, re ipsa tamen stultis & a recta ratione alienis conviciis & opprobriis. Inde a primis ecclesiæ temporibus christiani doctores; Christi & apostolorum doctrinam secuti, non se ipsos tantum invicem hoc omnipotenti Spiritus s. præsidio consolabantur & adversus quasvis ingruentes difficultates muniebant: sed palam profitebantur hanc suam fidem, mirabilemque istam, quæ ipsis acciderat vitæ emendationem, veram Dei & Christi cognitionem, quam assecuti erant, enixum peccati odium studiumque virtutis, excelsumque atque invictum animum in calamitatibus hujus vitæ & in ipsa credibilissima morte, gloriæ Spiritus sancti efficacissimæque Dei virtuti, quæ in ipsis adsit & operetur, dabant


P. P. SUB SIGILLO ACADEMIÆ
PENTECOSTES PESTO DIE, MDCCXXV

1. BMV Schwerin
000 749 85X



& tribuebant. Cujus rei, præter alios vetustiores testes, *Iustinum martyrem, martyres Lugdunenses, Origenem, aliosque, Cyrillo nostro ætate æqualis Hilarius pictav. L. X. de trinit. opp. p. m. 205.* imprimis evolvatur velim. *Intelligitis nunc quidem, CIVES, quid sit istud, quod gratiæ nomine appellat. Etiam nobis duplex ista gratia proposita est: nec ulla nobis beata vita contingere potest, nisi illius nos per Christum ejusque Spiritum participes reddi patiamur. Etenim nos homines, non tantum natura depravati & a Deo alienati, sed per totam nostram vitam infinitis peccatis obstricti ac polluti, nunquam ad Deum accedemus, nisi ipse se nobis in Christo reconciliatum benignissimumque patrem Spiritus s. luce offerat & revelet. Nec per totam vitam cupiditatum impetum vincere, calamitates superare, aut in ipsa morte tranquillo beatorumque animo frui poterimus, nisi Spiritus s. potenti virtute gubernemur atque confirmemur. His præcipue temporibus, quibus ipsa Christi religio tanto ubique impetu laceratur, torquetur, mutilatur, ac quivis fere sibi suam ex suo ingenio religionem fingit, egregie fallitur, quisquis sibi suisque viribus relictus putat, naufragium se in his tantis fluctibus, vel quod ad ipsam theoreticam veritatis cognitionem attinet, evasurum, nisi sibi diffidens vero sinceroque animo Spiritus s. gubernationi inter assiduam verbi divini meditationem totum se tradat. Idque imprimis isti didum sibi putent, qui litteris, omnium maxime, qui theologiae incumbunt. Excitemur igitur, CIVES, ut eundem nobis Spiritum, qui Apostolos pentecostes die, cujus memoriam hodie celebramus, tanta fortitudine tantaque luce imbuat, gubernatorem ducemque vitæ a Deo expetamus. Quanquam enim non eodem modo, nec eadem mensura divinum istud donum, quæ Apostolis contigit, a nobis expectari possit aut debeat; nostro tamen modulo & nobis propositum est: dummodo imbecillitatem turpitudinemque nostram humili animo sentientes confitentisque, ad Christum convertamur.*


P. P. SUB SIGILLO ACADEMIÆ
PENTECOSTES FESTO DIE, MDCCLXVI.





Christi beneficia: quæ lux atque cognitionis certitudo ac
 perpellatque, ut nullæ aliæ rationes contra
 s alia voluntatem movere, aut a proposito
 sum equidem a cæcis miserisque gentiliū
 nostræ ætatis hominibus, qui ignorant Deum
 ritus s. virtutem, tanquam incredibilis & a
 roia, stuporis, & inscitæ effectus, ut fanati-
 furor summaque stultitiâ contemni & ride-
ntoninum imperatorem, celsum, Julianum,
 oniam hujus generis homines suæ sapientiæ
 otii, quod ipsi non sentiebant & experiebant
 veram divinamque sapientiam assequi pote-
 cum nihil in sublimi hæc excelsissimaque re
 one, aut a Dei omnipotente virtute, aut de-
 i ipsius hominis sit alienum, cumque re ipsa
 nas istas consolationes supra omnem huma-
 imepositas, potentemque illam effectiōnem,
 ad contemnendas fortiter cupiditates ex-
 ada, atque evehebatur supra omnes humanas
 æ statum, qui naturæ humanæ congruit: ve-
 jure atque merito nihil se moveri patiebant-
 , quamquam ab iis proferebantur, qui sapien-
 e ipsa tamen stultis & a recta ratione alienis
 is. Inde a primis ecclesiæ temporibus Chris-
 sti & apostolorum doctrinam secuti, non se
 hoc omnipotenti Spiritus s. præsidio conso-
 quasvis ingruentes difficultates muniebant:
 tur hanc suam fidem, mirabilemque istam
 tæ emendationem, veram Dei & Christi co-
 secuti erant, enixum peccati odium studium-
 que atque invictum animum in calamitati-
 sa credibilissima morte, gloriæ Spiritus sancti
 virtuti, quæ in ipsis adsit & operetur, dabant

the scale towards document



P. P. SUB SIGILLO ACQVD
 PENTECOSTES PRIMO DIE

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.